



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-64157-p0001-7

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-64157-p0002-3

DFG

DISSE

TATIUNCULA
DE
PRAECEPTORIBUS
RUTHENEI PUBLICIS,
ET EJUS QUIDEM PARS PO-
STERIOR.
DE
RELIQUIS COLLEGIS.

QUA
PLURIMUM VENERABILE
DNN. INSPECTO-
RUM COLLEGIUM,
OMNESQUE ALIOS OMNIUM
ORDINUM VIROS ERUDITOS
M. JOH. FRIDERICUS Röber/ ILLU-
STRIS RUTHENEI RECTOR,
AD
BENEVOLE AUSCULTANDAS
QUATUOR ADOLESCENTUM
ORATIUNCULAS
OBSERVANTIA, QUA PAR EST, ET HUMANITATE
INVITAT.

GERÆ Typis MÜLLERIANIS.





Eci verborum nonnihil ante menses aliquot de supremis
Incluti hujus Ruthenei Doctoribus, successu rerum nostra-
rum exoptato, prosperoque Gymnasi statu monitus juxta
& instigatus. Pro viventium salute vota quoque vinc pia
nuncupavi, mortuorum etiam laudes & encomia breviter
persecutus. Utrumque nostra nobis imponebat pietas,
defunctorum imperabant merita, superstitione efflagitabat
amor. Fiebat hinc, ut TRINCKHUSIO NOSTRO, Achatii tunc conjun-
ctissimo, & longævitatem precarer, & omnigenam prosperitatem. Debet e-
nim, monente Stagiritâ, amicus diligere amicum, ut se ipsum, quippe qui,
ejusdem verbô, est ἄλλος αὐτός; & nescio quî fiat, ut timidus plerumque
sit amor, &, nequid humanitùs accidat amato, sàpè vereatur. Verum e-
nim verò quod deprecati feriò suimus; id ante quatuor ipsas hebdomadas
proh dolor! accidit. Decollavit spes concepta, precesque, quod quidem
homines putamus, in irritum fuerunt fusæ. Obiit Vir Optimus, imò abiit,
& in contubernium receptus beatorum, incredibili lætitiae voluptate, Dei
beneficiô, perfruitur. Interim amissu ejus jacturam non levem fecimus,
vulnus accepimus haut exiguum, orbati sumus Collegâ doctissimo, fidei
maximè ac sedulô Doctore publicô. Quem sua eruditio ac dexteritas pe-
plô Minervæ intexuerat; is in Libitinæ rationem poste à venit. Quem,
catalogo Præceptorum tunc insertum iveramus. &, ut quam diutissimè su-
peresset, precati eramus; is post paulò egit animam, & morbô consumtus,
debitum reddidit naturæ. Sed veluti non dubitamus, quin cura insomnis
ac provida vigilantia MAXIME VENERABILIMUM DNN. INSPECTO-
RUM dignum Beatè Defuncto successorem datura propediem sit: Ita nunc
Præceptores Ruthenei reliquos, qui Classibus intermediis juxta ac imis præ-
fecti fuere, recensituri sumus. Seqvuntur ergò quos TERTIOS in ordine
vocabamus COLLEGAS. Quos inter primus fuit M. JOHANNES TILLE-
RUS LOBENSTEINENSIS, statim sub Gymnasi nostri auspicio publicè
introductus, Anno hujus seculi octavô. Quamdiu hic desudaverit in labo-
re scholastico, non satis constat. Cæterum nulli ambigimus, quin, quam
nactus fuerat, sedulò ornaverit spartam. Transit in vineam Domini, sub-
fidiarias præstans operas Parenti emerito, Pastori Ecclesiæ Harrensis; cui
surrogatus denique in sacro officio fuit. Huic, nisi me fallunt omnia, suc-
cessit M. NICOLAUS OELSCHLEGELIUS, itidem LOBENSTEINENSIS,
c ujus & inter Correctores mentionem fecimus. Nam primùm TERTII

mune-

munere functus , eam de se excitavit doctrinæ atque ingenii opinionem , ut , qui ad altiorem ascenderet dignitatem , non indignus sit judicatus . In hu-
jus locum surrogatus porrò fuit M. MATTHÆUS MÜLLERUS , P. L. C. Vir
sedulus & pius . Fuit hic primùm ex infimorum numerò Præceptorum ; Sed
ad comparandam majorem eruditionis vim ac copiam ad Academiam Lipsi-
ensem denuò abiit ; revocatus inde anno 1615 & Tertius Collega con-
stitutus , rerum suarum benè quidem , non diu tamen sategit . Nam bien-
nio post Archidiaconus Ecclesiæ nostræ vocatus legitimè , non sine ingenti
laude oviumque Christi emolumento , suis partibus aliquot annos defunctus ,
tandem Elsterbergensis Ecclesiæ Pastor factus est . E quâ statione non prius
decessit , quam è vita . MÜLLERUM in officio , quod nunc laudamus , in-
secutus est HIERONYMUS GEBHARDUS LOBENSTEINENSIS . Erat
& hic primâ vice Bacularius , ut vocant nonnulli ; deinde verò , quippe ad
majora aptus , Tertiī Collegæ adeptus dignitatem est . Evocatus ad munia
Diaconatus suburbani , stationem Scholasticam reliquit anno 1622 Iuc XXI II .
Obiit Vir Optimus , nec pessimè meritus de nobis anno 1632 Iuc XXXI II .
De hoc eodem perinde , ut antè laudato Müllero , commemoratione in primis
dignum est , quod uterque , etsi jam Baccalaureatus functioni ac operis admo-
ti , tamen ad Academica reversi sint studia . Maluerunt enim dotes animorum
locupletare , quas dederat Deus , quām imminutum ire . Nihil quippe ma-
gis anhelat benè ingeniatus homo , quām ut ruditatem exuat animo , & variæ
sibi eruditionis comparet thesaurum . Qui ubi queratur melius , ubi inve-
niatur felicius , quām in Academiis , quæ sedes studiorum ac sapientiae offici-
næ sunt ? Nescio an inter hunc & Müllerum ponam intermedium , an Geb-
hardo postponam M. JOHANNEM WOLFFIUM , quem & suprà in Con-
rectorum numero laudavimus . Certè in Tertiis hic fuit censu primū;
at , quō tempore hæc ipsi functio demandata sit , non satis liquet . Dehinc
munia hæc diligenter , nec citra nominis insignem famam obiit M. ANDRE-
AS AVERBACHIUS , Vir non sedulitate minus quām doctrinā conspicuus .
Ecclesiæ posteà suam devovit operam , Pastor primū factus Zvözensis ,
posteà Dieschizensis . Mortalitati huic placide juxta ac beatè extremum
valedixit anno 1642 Iuc LXVII II . In locum Antecessoris boni non malè suc-
cessit MICHAEL BÖTTIGERUS , Vir probus planè , pius ac edulus , reique
scholasticæ haut parum peritus . Sed & huic lubuit agnorum cum ovium ,
Christo ditarum , commutare curam . Ideoquè Pastor vocatus primū
Reichstedensis , posteà Zürchaviensis Ecclesiæ , omnes boni ac fidelis Servi

F 2

DEI



DE TEMPORIE HABITUS CONMIS EST. VITAE NEM FECIT AC DECEL LIT IN OPINIA
morte anno **1600** Ic LXX. Atque nunc ad eum venio, quo nemo aut sancti-
us, aut diutius diligentiusve has administravit parteis. Quis ille sit, nemo
non intelligit, qui rerum Gymnasii nostri non planè imperitus est. Quis
non videt, indicari **CASPARUM FRANCKIUM**, quem Adorfium quidem
in auras has edidit, sed Rutheneum nostrum laetè Musarum blandè innutri-
vit, nutriturum aliquando nostros Musarum pullos? Sustinuit & hic ali-
quantisper, vel degustavit potius Baculariatus partes: Veruntamen anno
1600 Ic XXXIV. Tertiatus officio, quia merebatur, mactus est. Quam
egregiè hic, quam suâ cum laude, non peritura facile, suas executus sit partes
quà docendô, quà emendandô; nihil attinet magnoperè prolixioribus ex-
ponere verbis, cum res ipsa in omnium ore ac mentibus vigeat adhuc foreat-
que. Adeò non refert, quantâ quis illustris fuerit dignitate, sed quantâ
fide atque industriâ suum quisque obierit officium. Nec facile sua bene
meritos destituit gloria auctor honor. Aequô animô è vita, tanquam è theatro
exiit Vir Optimus anno **1600** Ic LXVII. Et certè mei ipsius, quam hujus
Viri indefessi, diligentis ac severi memoriam depositurus sum. Ita mere-
tur Præceptor præstantissimus, Collega Optimus. Sequentे anno d. **1611**.
Martii munia isthæc in se derivari passus est Vir Clarissimus, & à parvô ad-
modùm puerô mihi conjunctus maximè **JOHANNES FISCHERUS, NO-**
STRAS sive **GERANUS**. Qui quantum pietatem amat & sinceram fidem,
tantum & suas gerit partes. Conservet eundem DEUS in emolumentum,
studiosæ pubis, conservet quamdiu diutissimè, quam felicissimè! Plura adderem de vivente adhuc &idente, nisi verendum, ne in adulotorum transfigisse castra viderer. Præterea hoc ipsum amantis est, dicente Plinio, nolle laudibus amicum onerare.

A Tertiis succedant nunc **COLLEGÆ QUARTI**, quos & **CANTORES FIGURALES** communiter appellamus. Quorum duo tantum fuere, quamdiu Gymnasium hoc Illustre stetit. Forsitan nonnihil Musicæ vi tribuendim hinc est, quippe quæ uti recreat animum, ita & ad corporis vitæque conseruationem haut parum facit. Tanta hominis naturæ cum harmonia consensio est. Id quod prolixius diducere & explicare possem, si de ipsâ Musicâ potius, quam artis jucundissimæ daduchis sermo nunc esset. Primus igitur & qui simul cum Ruthenei initio munericis sui auspicia fecit, erat **PETERUS NEANDER**, Componista dictus ob egregiam artis suæ notitiam, à statu corporis vero Longus. Exteras hic oras lustrando, multos hominum
mores



mores jubesque, tanquam Ulysses alter, viderat adolescens. Unde & recensione talium ex facili discipulorum ora & animos in se convertere, nec pauca eorum quae docenda erant, illustrare prudenter poterat. Cæterum singulari clementia ILLUSTRISSIMI quondam RUTHENI POSTHUMI, Fundatoris Gymnasii longè benignissimi, perpetuo usus fruitusque est. Nihil enim arte Musicâ prius facile habuit BEATISSIMUS HEROS. Unde nec displicere poterat, qui artem isthanc cum omnium applausu tam egregie ac sedulo exercebat. Digressus mundo est anno 1540. postquam per ipsos triginta & septem annos muneri publico præfuisset. Cui demum anno 1543. die vigesimo septimo Martii, qui suis partibus indefessè haec tenus & cum magnâ sedulitatis laude fungitur, ANDREAS GLEICHUS, ERFURTINUS, successit. Qui ut porro concentibus svavissimis Ecclesiam ornet, tenerisq; discentium animis plurimum prospicit, serio precamur!

Ordo nunc exigit, ut ad QUINTOS properemus COLLEGAS, qui, quoniam cantando populum in Ecclesia congregatum, præeunt, CANTORES CHORALES nuncupantur. Et hos fuisse quatuor in universum, compario. Primus fuit WOLFGANGUS ECKHARDUS, qui anno 1510. Ecclesiae nostræ Diaconus, ac tandem Pastor Hohenleibensis vocatus est, ubi & ex hac vita placide migravit. Huic surrogatus in officio est DAVID LEDENFROSTIUS. Qui primùm Baccalaureus, deinde Cantor Choralis constitutus fuit. Anno 1517. remotus ab officio dicitur ob vitam, numis dissolutam. Hinc ad partes venit CHRISTIANUS HILDISCHIUS, primum Baccalaureus. Qui idem munia scholastica cum Ecclesiasticis denique commutavit, ~~edituus~~ Ecclesiae Geranæ factus. Tandem Cantor legitime vocat⁹ & constitut⁹ est ACHATIUS PFRETZSCHNERUS, ELLENBOGA-BOHEMUS, duodecimo Aprilis, anno 1537. Cui ut vires corporis ac animi diutius conservet Deus, & vocis integrum præstet, robur, piè & planè ex animo optamus!

Et sic delabimur tandem ad COLLEGAS infimos, nempe SEXTOS, SEPTIMOS, OCTAVOS, quos sive Baccalatireos, sive Bacularios, quod volunt nonnulli, vocitemus; dubio procul in ipso nomine et si vulgarem, non adeò excusabilem tamen erraverimus errorem. Placet, & placuit semper sententia, quam tradit Vossius, libro utilissimo de Vitiis sermonis. Qui nomen istud corruptum censet ex batualius: ut sit batuendo, ex quo bataille, Gallis hodiernis adhuc usitatum. Batualii verò (pergit idem) fuerint vo-

cati, quia jam batuissent cum adversario, ac manus conseruissent, h. e. publicè disputâissent, atque ita peritiæ suæ specimen dedissent. Certè (verba sunt Besoldi dissertatione de Studiosis) adhuc Franco-Galli Bacheliers en armes vocant, quos nunc in re literariâ Baccalaureos appellamus. Nec est, quod obvertat quispiam; Baccalaureos in Academiis quibusdam vocari, qui primos in facultate aliquâ honores indepti sint; Bacularios verò, qui prima literatum rudimenta inculcent puerulis. Nam discriminem istud & planè fictitium est, & utraque appellatio omnino corrupta, ut cum Vossio magna pars eruditorum fatetur. Certum potius hoc est & indubium, non solùm Scholasticos nostros, sed & Academicos illos eodem nomine quondam fuisse nuncupatos. Nam veluti Gallis batualii vel battalaurii dicebantur militiæ tyrones, qui prælio primum interfuerant: ita quis dubitet magnopere, & illos, qui primum qs. stipendium in studiis Academicis meruissent, & hos, qui primum quasi prælium unâ cum tyronibus committunt itendi dem contra impietatem & barbariem, Battalaureos, barbarâ quanquam, voce, non incongrue tamen dici? De cætero licebit nostueri hac in re illo vetustate contritò, quo dicunt, loquendum cum vulgo, sentiendum cum eruditis. Sed à nomine ad rem ipsam, ita tamen, ut sola indicem nomina. Nam & numero plurimi sunt, qui ultimis classibus fuerunt præfecti, & pauca admodum de iis notatu digna occurrunt. Scilicet ut fundamenta ædium nec ornamenti superbiunt, nec honorantur valde sive ab habitantibus sive prætereuntibus: sic usu venire solet plerumque, ut qui prima studiorum ac pietatis fundamenta jaciunt in scholis, raro honore quodā præcipuo (vah nefas!) maestentur. Hinc certè factum est, ut pauxilli admodū in his officiis diem obierint supremum, sed ad altiora connisi, ex pistrino, quod vulgo putant, plerique evolârint. Sed enim quomodo constabit ædificii moles, si funda mentum subruatur? Eadem ratione vix sarta manebunt & tecta studiorum præcipua, si dejiciantur fundamenta & excindantur. Nam sine initio nec continuari res potest, nec sine parvis istis stabiliri magna. Igitur nomina Collegarum infimorum sunt sequentia. I. MARTINUS KLUGIUS, insignis Mathematicus, obiit anno 1500. II. JOHANNES CUNDIUS, posteà Aedituus, Chemicæ per quam deditus. III. JOHANNES MÜLLERUS, qui officio suâ sponte abdicavit seinet, cuius causa à diversis diversa redditur. IV. DANIEL GRUNERUS, Cantor posteà vocatus Lobensteinensis; ac tandem Pastor Seibendorfensis. V. CHRISTIANUS PUFLERUS, in officio mortuus anno demum 1547. VI. MAR-

TI-



TINUS MEINHARDUS, vocatus hinc Pastor Dürrenebersdorffensis, anno ∞ I^oc XVII. non amplius visus; quô de non uno ore loquitur fama. VII. N. HERMAN, factus deinde Pastor Fraubrisnicensis ∞ I^oc XVIII. VIII. NICOLAUS SÖRGELIUS, vocatus inde ludimoderator Tannensis, ubi & extinctus fuit. IX. NICOLAUS KOECHERUS cognomento Niger, pòst Diaconus Tannensis. X. N. CRANZIUS, quem aufugisse clàm dicunt anno ∞ I^oc XX. XI. JOHANNES WOLWERTHIUS, vocatus deinde Pastor Zvözensis, tandemque Diaconus hujus loci suburbanus; cuius nomen & dignitas in Filio successore, Amico meo Honorando, adhuc viget. XII. JOHANNES JUDÆUS, pòst constitutus Pastor Hirschfeldensis ac Tannensis tandem. XIII. CHRISTOPHORUS GLOCKIUS vocatus hinc Pastor Waldersdorfensis, ac denique Tautenheimensis. XIV. JACOBUS LOTICHIUS Moravus, hinc Cantor factus Schleizensis, ubi & rude donatus adhuc vivit: cui plurima in ultima hujus Catalogi parte me debere fateor. XV. MICHAEL PEZOLDUS, Pastor hodiè Hirschfeldensis. XVI. CHRISTIANUS HILDISCHIUS, pòst Cantor Choralis & Aedituus, ut antè diximus. XVII. CHRISTIANUS COLBIUS, deinde Pastor Tornensis, jam beatus. XVIII. BARTHOLOMÆUS ARNOLDUS, qui anno ∞ I^oc XXXVIII. obiit. XIX. LAURENTIUS DOSSIUS, Pastor deinde factus Roschizensis, mortuus anno ∞ I^oc XL. XX. ERNESTUS CAFFELIUS, hodienum Pastor Zvvoezensis. XXI. JOSEPHUS HEMMAN, postea Aedituus, adhuc superstes. XXII. BENEDICTUS RUCKARDUS excessit è vivis anno ∞ I^oc LVI. XXIII. JEREMIAS VOGTIUS, postea vocatus Pastor Dürrenebersdorfensis, ante annos aliquot defunctus. XXIV. SIMON STEIDELEIUS, vocatus anno ∞ I^oc LII. XXV. ERHARDUS WENDLERUS, senior, vocatus anno ∞ I^oc LVI. XXVI. ADAMUS RHODIUS, vocatus anno ∞ I^oc LIX. obiit anno ∞ I^oc LXI. XXVII. ERHARDUS WENDLERUS, junior, vocatus anno ∞ I^oc LXI. Reliquos lubens prætero, qui ad functiones altiores in Rutheneo nostro fuerunt promoti, quorum nonnullos antè laudavimus. Restat nunc nihil aliud, quam ut pro Gymnasii salute, Docentiumque & Inspectorum præcipue ac Nutritiorum Illustrissimorum incolumitate divinam Clementiam diuquè & noctu invocemus. Deus igitur O. M. omnes & singulos servassit semper!

Nunc



Nunc ad peroraturos, in quorum gratiam hæc suscepta scriptio est:
Igitur I. J. O. FRIDR Gleich / GERANUS, Viri Pereximii ac Hu-
manissimi D. ANDREÆ GLEICHII, Collegæ nostri & quon-
dam Praeceptoris honorandi, quem prædiximus antè, Filius,
BEATO CONRECTORI Nostro, quæ debuit, justa parentalia exsol-
vet, ac simul vale nobis dicet, ad Academiam Wittebergensem abiturus.
Qui ut feliciter res suas gerat, ἐκ τῶν μυελῶν vovemus. II. GOTTFRIED CHRISTIAN HAUSIUS, GLAUCHA - OSTERLANDUS
Horatii Coclitis fortitudinem laudabit. III. HEINRICUS GOTTFRIED Böttiger / MALTISSA - MISNICUS oratiunculam de amore
Coriolani in matrem & patriam habebit. IV. J. O. HEINRICUS
Pfleßchner / GERANUS, de Scipione, ab hostibus & piratis maximā
veneratione honoratō, dissertabit. Dicturi sunt omnes hora pomeridiana II. in auditorio his exercitiis destinato. P. P. Geræ pridie Eid.
Aug. A. Q. R. 80 Loc LXXIII.



Poem 1/6 910 Au

ULB Halle
003 023 32X

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-64157-p0012-8

DFG

